



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd Deus cuncta disponat,& consideret vniuersorum finem. xxvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

indisciplinatis obuiat mors. Sed sæpe iniquus quâuis in ocula Dei præsciencia longa vitæ eius tempora non sint prædestinata, ipse tamen quia carnaliter viuere appetit, longos animo dies proponit, & quia ad illud tempus peruenire non valet quod expectat, quasi antequam dies illius impleantur perit. Quod tamen intelligere & aliter possumus. Plerumque enim quosdam cernimus, & peruersè agere, & vsque ad senectutem vltimam peruenire. Quomodo enim dicitur, antequam dies eius impleantur, peribit, cum in quibusdam sæpe videamus, quia ætate longa iam membra deficiunt, & tamen prauitatem suam eorum desideria exequi non desistunt.

*Quod Deus nostra peccata dissimulet. Cap. XXVI.*

*Ex eodē.* **O**mnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat & audire dolentium vocem, vt auget vtilitatem, vt purgetur vita per pœnam, & quietis tranquillitas, quæ hic inueniri non valet, alibi quaratur.

*Quod Deus cuncta disponat, & consideret vniuersorum finem. Cap. XXVII.*

*Ex eodē.* **T**empus ergo posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat. Vniuersorum nomine, & electos voluit & reprobos comprehendere. Nam bona faciens & ordinans Deus, mala non faciens, sed ab iniquis facta, ne inordinatè veniant ipse disponens, considerat vniuersorum finem, & patienter tolerat omnia, atque intuetur malorum terminum, quo ex malo mutantur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quo de malo opere, digni trahantur ad supplicium. Vidit finem persecutis Sauli, vidit finem quasi obsequentis discipuli, quod pro commisso scelere guttur de quo stringeret, seque & peccantem puniret, & deterius puniendo deciperet. Vidit Niniuitas delinquentes: sed considerauit finem delinquentium, pœnitentiam correctorum. Vidit quoque Sodomam delinquentem: sed considerauit finem ardoris luxuriæ, ignem gehennæ. Vidit Gentilitatis finem, quod possessa iniquitatum tenebris, quandoque fidei luce claresceret. Vidit etiam Iudææ terminum, quod ab ea luce fidei quam tenebat, obduratæ perfidiæ tenebris cæcassetur.

*Item de prædestinatione. Cap. XXVIII.*

*Ex dictis Fulgētii.* **F**ulgentius in libro de prædestinatione ita ait: Neque enim est alia Dei prædestinatio, nisi futurorum operum